Regina Poloniae.

Lipski Joan. Ep. Culm. Vladislai IV ad Ferd. III. Rom. Imp. magni Oratori et Legati: Orationes duae habitae in aula Caesaris coram — Caecilia Renata. d. ult. Jul. 3 Augusti.

Ill^mi, Excell^mi, ac Reuerend^mi Domini, D.

IOANNIS A LIPIE, LIPSKI,

EPISCOPI CVLMENSIS, ET POMESANIÆ,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

VLADISLAI IV.

POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS,

AD SERENISS: ATQ. INVICTISS:

FERDINANDVM III.

ROMANORVM IMPERATOREM

Semper Augustum,

MAGNI ORATORIS ET LEGATI,

Orationes duæ.

HABITÆ IN AVLA CÆSARIS,

CORAM SVA CÆSAREA MAIESTATE,
AC SERENISSIMA REGINA

CÆCILIA RENATA.

Die vltima Iulij, & 3. Augusti.

CRAC. *In Offic: Andr: Petricouij, S.R.M.Typogr.* *Anno 1637.*

Illmo ac Excell^mo Domino,

D. STANISLAO A KONIECPOLE KONIECPOLSKI, CASTELLANO CRAC:

Supremo Regni Poloniæ Exercituum

GENERALI,

PRÆFECTO BVSCEN: BAREN: KOVELEN: Ploskerouien. S.

TVllium Sarmaticum, publicè perorantem audiuit, laudauitq́; Cæsar, cùm is Sororem ipsi dulcissimam pro Rege nostro expressit è manibus, eâ facundiâ, eâ verborum vi, quâ mutatis ad tempus affectibus, & Herculeam Clauam ab Excellentiæ Tuæ manibus excussisset. Reginam obtinuit, quâ nulla virtute maior, prudentiâ par, aut fortitudine excellentior; quæ demum vultu Austriacæ Maiest: pleno præferat Heroinam. Non timet arma, non ignes, Magnanimum pectus: nec horrebit in campum ad Tua Castra cum Rege marito descendere, ac primum in hostes

iaculum, per pia ad Superos vota, inferet. Diceres profectò, sapientissimum æquè, ac fortissimum inter mortales Regem, despecto Paridis iudicio quod Troiam euertit, meliori consilio, atque omine, nunc ad publicam Orbis pacem, & commune in Turcas fœdus, hanc Palladem armatam sibi præ cæteris elegisse. Quos Heroes nascituros ex tam felici connubio autumant vniuersi? Tu interim Oratorem, quem audire non licuit, legendo scriptum admirare, ac me Clientem Tuum solito benigno affectu prosequere. Viennæ, Die 7. Augusti, 1637.

Excellentiæ Tuæ

Humill: deuotiss: & obsequent: seruus

& cliens,

Dominicus Roncallius
S.R.M.S.

Illmi, Excellmi, ac Reuerendmi Domini, D.

IOANNIS A LIPIE, LIPSKI, EPISCOPI CVLMENSIS, ET POMESANIÆ,

AD SACRAM CÆSAREAM MAIESTATEM.

ORATIO.

PErtinebat, Inuictiſſime Imperator, ad noui Imperij auſpicia, & Chriſtiani Orbis Vota, atq; auguria, vt VLADISLAVS REX poſt debellatos hoſtes, & tranquillatas Prouincias, in Imperatricem Domũ parta trophæa ſecum inferret; & Victricibus armis in hoc Auguſto Sacrario ſuſpenſis, Regalem Manipulum, candidis tænijs, in opimam publici otij frugem faſciaret. Extimuerat nimirum Orbis, poſt receptum Cœlo Diuum Progenitorẽ Ferdinandum, noui Imperij auſpicia, dum videbâre, Auguſtiſſime Cæſar, ex

Impe-

Imperialibus Coronis ferream primùm induisse, à vincente ferro Imperium auspicatus; nî Cognatus Rex, ferrea auspicia in aurea vertisset, & Septemtrionalis Mars, post belli fulmina, auream pacem, & lætum hymenæum Orbi, bellis fesso, prætonare cæpisset, Viennæ Procus, Coloniæ Pacificator. Noua ergò omina, noua auguria Orbi ferimus, dum inter bellorũ classica Epithalamium apud nouum Imperatorem, Magni Regis Pronubi præcinimus, à quo depulsis procellis disserenare iam in optatã malaciam incipiat, & ferrea sæcula aurescere. Quid ni hoc iam sperare liceat? Quando Mars ipse Orbi ad pacem pronubit, & Bellonam apud alterum Martem ambit, non arcum, sed Organa tractantem, ad præcinendũ Cœlo, & Orbi, Cæcilianam harmoniam; Quæ cùm per Septentrionẽ nostrum dudum suaue insonuisset, Martij Regis vota, hactenus per orbem vaga, & multis ambita, in primam Orbis Domum pellexit; Cœlo, & fatis nouorum sæculorum texturã ordientibus. Sed præter hæc fausta Orbis auguria, Tuum

hoc

hoc etiam, Maxime Imperator, ſempiternum erit decus, quòd tui Imperij prima ſalutatrix fuerit Victoria, Salutator Victor Rex, nō vota modò, ſed victoriam de ſe, in Victricem ferens Domum, vt plenum Maieſtas Veſtra haberet gloriæ titulum, initio Imperij & hoſtes, & Amicos viciſſe. Obſecundare etiam Rex Frater volebat, non publicis tantùm votis, & augurijs: verùm etiam Tuæ Maieſtatis & Auguſtæ Domûs genio, quòd & illi antea prima Hungaricæ, & Bohemicæ Coronæ auſpicia, à victoria, & nuptijs obtigiſſent; & huic, tanquam ſupra rerum humanarum ſortem faſtigiatæ, ipſæ etiam mortes Imperia, Victorias, Connubia parturire ſoleant, vt neq; modo aliam iacturam, aliam orbitatem ſentiat, quàm quòd Diuus Ferdinandus Pater mortalis eſſe deſierit, quādo ſtatim Filius pro eo imperare, ac vincere, Filia in Reginam à Magno Rege, & Regno ambiri, ac noui Nepotes ad capeſſenda paterna, auitaq́; Sceptra naſci cæperint: tanquam in hac Domo nihil non immortale ſit, præter mortales. Quod ergò

Cœlum

Cœlum, quod vota & auguria publica, quod Imperij Maiestatis Vestræ auspicia, & Imperatricis huius, ac Nostræ Regnatricis Domûs, æterna fata destinabant: id Nos solenni istâ Legatione exequimur, vota & preces Serenissimi Regis Nostri in Fraternum Maiestatis Vestræ sinum reuerenter deponentes, quibus Serenissimam Principem Cæciliam Renatam, Maiestatis Vestræ Sororem, in sacrum Connubium deposcit. Conspirauêre diu in hoc Coniugium sanctissima destinata cœli, perennia Orbis Sarmatici fata, Procerum Consilia, Vota Populorum, Religio, Sanguis, Vicinitas: atq; vt omnia ista conspirauisse, haud ambigendum sit, ad Vota Regis hîc demum sistenda, quæ per Principes Domos magis ambitus, quàm ambiens circumtulit; ita Nostri Comitij, atq; adeo Regni Vniuersi Consilia, & Vota huc incubuisse satis documenti est, dum petimus, quod ipsi cum vniuersa Patrum Curia suasimus. Adeò quid Orbi, quid Imperio Maiestatis Vestræ portendat nupturiens in Martia Domo Mars, etsi alienorum ominum

minū incuriosi esse vellemus, nostrorū securi sumus, dum res & exempla pro augurijs habemus, nempe Elisabethas, Annas, Constantias, Augusta Reginarum nostrarum Nomina, quas Rex, quas nos ipsi, istarum Nuptiarum Auspices, ac fidas paranymphas habuimus, mox in RENATA Regina nobis renascituras. Hinc haud mirū, si post Reginas, quas Nobis Austria dedit, quatuor Regibus Matres (quarum vel sola VLADISLAI Regis Mater satis ad hæc vota inuitamēti haberet) prona in Reginam hinc ambiendam, & SenatûsConsilia, & Ordinū studia, securis omnibus, nec Cœlum fallere posse, nec fatorum industriam aberrare; quorum hoc perenne quoddam arcanum est, in hac Domo alijs Reges, nobis Reginas nasci, vtpotè, quibus non alibi, quàm in liberis pectoribus, Reges nascantur. Quin nec Reginæ, nisi quò d iam diu in Augustâ hac Domo faustissimum Reginarum nostrarū Nidum, Cœlum, & Sæcula posuissent, gratæ & mutuæ redhibitioni pro Cymbarcâ nostrâ obsecundantibus fatis, tanquam vel

pro hac ipſa Imperatoris Auſtriaci Matre, iure hinc petamus Regum Noſtrorum Matres, quas lubens & grata dabat hæc Domus nobis, mox etiamnum datura Nouam Nouis SIGISMVNDIS & VLADISLAIS Matrem, quos Filiæ & Sorores Imperatorum nobis parere conſuêſſent; datura, inquam, habituris quo, ſi Superis placet, tanti pignoris officium penſemus. Verùm quæcunq; fuêre & Sereniſſimo Regi, & Nobis ipſis, præſentis Voti & Conſilij ſuſcipiendi inuitamenta: eadem etiam num ſunt, ſolenni prece & officio maturandi, priuatis fulta Regiæ Domus rationibus, ob caſum geminatorum nuper funerum, orbitatem, magnâ Orbis iacturâ, formidantis. Proprio prætereagenio, optimus & ſapientiſſimus Rex, diu ferebatur in cognatam & Maternam Domum, cœli Alumnam, Orbis gemmam, Religionis Altricem, Impietatis Domitricem, gloriæ Nidum, Virtutis Procreatricem, Cæſarum Matrem, Imperij Conſeruatricem. Proinde ex hac Ille ſibi Thori, Sceptriq; Sociam, Nos Reginam depoſci-

poſcimus: & à Maieſtate Veſtra, vti Domûs
& Imperij Præſide, petimus. Annuit his vo-
tis, procul dubio, Cælum; annuit è Cœlo
Diuus FERDINANDVS Pater, quia hîc ſu-
perſtes annuerat; annuit ipſe Orbis, lætus ta-
libus augurijs ſe nouo Imperio, almæ paci, au-
reo ſæculo, inaugurari. Reliquum eſt, vt
cùm Maieſtas quoq́; Veſtra annuiſſet, ſolen-
nioribus pactis, & ſanctiſſimo fœdere rem
velit maturari; ceſſuram, adſpirante Supre-
mo Numine, in Magnum Orbis, & Imperij
Chriſtiani emolumentum, Religionis præſi-
dium, ac vtriuſq́; Domûs decus & ſolatium.
Tui verò imprimis, Auguſtiſſime Cæſar, Im-
perij lætam fauſtitatem, ad quam fortunatiſſi
mus Rex præit Nuptiali omine, in partem
fauſti auſpicij ipſe veniẽs, ſanguine Frater, fœ-
dere Socius, Connubio Affinis, vt acceſſura
magna nouo Imperio fulcra, certiùs omni-
bus augurijs ſit, cùm accedit Magnus,
Potens, Bellicoſus REX, vno Verbo
dicam, VLADISLAVS.

[illegible] Vestre, vir Genti-
[illegible] spectabile. Antiquis[illegible]
tis [illegible] dato, [illegible] omnes è Cœlo
Diuus [illegible], quæ hic In-
perij [illegible] fætus [illegible]
libus [illegible] nouo Imperio, altera pars [illegible]
[illegible] sæculo, [illegible] Regnum [illegible], vt
cum [illegible] solet, [illegible]
moribus pactis, & [illegible] fœdere [illegible]
velle [illegible] cessissent, [illegible]
[illegible] Magnum [illegible] Imperij
Christianum ambo [illegible] Regibus præsi-
dam, ad vtrosque [illegible] solitam
[illegible]
perpetuam [illegible], ad [illegible]
mus Rex [illegible]
faustis auspicijs euenisse [illegible]
dere Socius, Connubio Amicis [illegible]
magna nouo Imperio fulcra, certis omni-
bus augurijs fit, cum accedit Magnus,
Potens, Bellicosus REX, vno verbo
dicam, VLADISLAVS.

Ill^mi, Excell^mi, ac Reuerend^mi Domini, D.

IOANNIS A LIPIE LIPSKI,

EPISCOPI CVLMENSIS, ET POMESANIÆ,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

VLADISLAI IV.

POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS,

AD SERENISS: ATQ. INVICTISS:

FERDINANDVM III.

ROMANORVM IMPERATOREM

Semper Augustum,

MAGNI ORATORIS ET LEGATI,

Oratio Altera;

HABITA IN AVLA CÆSARIS,

CORAM SERENISSIMA REGINA

CÆCILIA RENATA,

Die 3. Augusti.

CRAC. *In Offic: Andr: Petricouij, S.R.M.Typogr. Anno 1637.*

Illmo ac Reuerendmo Domino,

D. IOANNI WĘZYK,

ARCHIEPISCOPO GNESNEN. LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ PRIMATI, PRIMOQVE PRINCIPI. S.

IOuem olim è Cœlo, si quando mortales vellet humano alloquio placidè instruere atque informare, non alio quàm Platonis ore locuturum aiebat antiquitas. Adeò enim, Philosophorum ille maximus, Diuino quodam pollebat eloquio, vt quidquid proferret, existimarent cæteri superius humano modo. Profectò nunc, dum Angelicam salutationem ad Virginem REGINAM peregit Antistes eloquentißimus, aut Angelum morTali ore locutum, aut Angelica hominem verba profatum, Aula Cæsaris meritò affirmauit. Equidem Orationem omnium pulcherrimam cum ipso verborum sono perire, dum metuo, typis exposui, ac promulgaui. Tu Præsul Optime, ac Poloniæ Primas, ipsius dulcedine oblectare, ac verba obsecundantem, venientemq; REGINAM omnium Maximam, cui iam Sceptrum ac Coronam præparas, sancta Benedictione prosequere. Viennæ, Die 7. Augusti, 1637.

Illustriss: ac Reuerendiss: Celsitud: Vestræ,

Humill: deuotiss: & obsequentiss:

seruus, & Cliens,

Dominicus Roncallius.

AD SERENISSIMAM REGINAM

CÆCILIAM RENATAM,

O R A T I O.

VEnimus, ſalutatum Maieſtatem Veſtram, à Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe VLADISLAO Quarto, Poloniæ & Sueciæ REGE, Domino Noſtro Clementiſſimo. Venimus, inquam; ſed non iam tantùm à Fratre ad cariſſimam Sororem: aſt à Rege ad Reginam, à Sponſo ad deſideratam Sponſam. Nouum hoc ſcimus, & inſolens in auribus Angelicis Maieſtatis Veſtræ ſalutationis genus; ſed diu Cælo, & fatis decretum, votis publicis concupitum, Diuo Progenitori, & Auguſtiſſimo Fratri placitum, ſupremo Sacrorum Præſidi ratum. Itaq; nō exaggerabimus magnitudinem Regij affectûs, cum quo amantiſſimæ ſalutationis, atq; comprecationis officium Maieſt:

Vest: per nos impertit. Nempè superat officiosa vota ipsum Fratris & Sponsi nomen, præcipui humanæ caritatis nexus: qui Regium quoq; pectus eo affectu Maiestati Vestræ deuinxêre, vt nihil in eo voti, nihil studij resideat, quod non totum amori Maiest: Vestræ mancipet. Sed quanquam Serenissimus Rex eum affectum erga Maiest: Vest: in Fraterno pectore aleret, quem tam propinquus Sanguis excitauit: non is tamen illi ad vota præsentis Coniugij paranymphum egit; sed inclytum genus, sublimes dotes, eximiæ virtutes, quæ in amorem Maiest: Vest: Regem raperent, etsi Frater non esset. Quin hoc ipsum, vt liberè more nostro fateamur, quia Frater erat, vota hæc morabatur; ne aut leges Sacras post habuisse, aut affectui fraterno in legenda thori, Regnique Sociâ indulsisse videretur. Verùm postquam Cœlum, & suprema eius in terris potestas Religioni Catholicæ, publicæ saluti, ac Regiæ Domui prospiciendum isto coniugio censuit: statim hîc optimus, & Sapiētissimus Rex stitit vota, per principes

cipes Domus haud ingratis hoſpitibus oberrantia, ac eadem in ſinum vtriuſq; Imperatoris FERDINANDI Auunculi, & Fratris depoſuit; ijſque demum ſanctiſſimo fœdere maturandis, & Maieſt: Veſt: ad Reginale ſolium, ac Diadema deducendæ, nos huc ablegauit. Ferimus imprimis Maieſtati Veſtræ à Rege Noſtro, non fraterni modò atq; connubialis affectûs, verùm etiam grati, & obligati animi officium, pro eâ voluntate, quâ Maieſtas Veſtra Diuino cumprimis, Paternoq;, & Fraterno placito, tum flagrantibus Regis, & Regni noſtri votis, ac rei Catholicæ, publicæque obſecundat. Ferimus deinde Ampliſſimi Senatûs noſtri, cuius pars ſumus, ſuffragia, cæterorumque Ordinum ſtudia, vnâ voce Maieſt: Veſt: Regi in Sponſam, Regno in Reginam, ſibi in Dominam depoſcentium. Neque nobis opus eſt tam concordis in Maieſt: Veſtr: conſensûs publici cauſas memorare; aut Auguſtum genus, præcipuum connubiorum decus, adſtruere; quando ſatis dictum foret, Te Neptem, Filiam, Sororem,

esseImperatorum. Verumenimuerò commune hoc Regi nostro cum Maiestate Vestra decus, ex eadem Augustâ Domo, ex quâ Tu Paternum, Maternum ducéti genus, Tibi ipsi, Imperialis Virgo, Tuisq́; Angelicis moribus, Tuis Regijs virtutibus, Tuis Augustissimis dotibus acceptum ferre debes, Te à Magno Rege, & Regno ambitam, à pleno Comitio lectam, à totâ Sarmatiá concupitam, votis, suffragijs, vocibus publicis, Reginá inaugaratam. Namq́ue videmus in Te, non otioso titulo Renatæ nomen cœlitùs sortitâ, renatas nobis Elisabethas, Annas, Constantias, viua sanctitatis simulacra, rara fæcunditatis exempla, quæ nobis non Reges modò, sed & Sanctos genuerunt, & per quas modò habemus vnde Nostra Regina esses. Ibit ergò Maiestas Vestra ad Regem Fratrem, & Sponsum, vnicum humani generis delicium, multis inuidiosè ambitum, conscensura Thorum, Soliumq́ue Regale, Tuis Auiabus, & Materteris fæliciter præsessum. Ibit ad Regnum, Gentemq́ue, etsi omnium liberrimam, tamen

men reuerentiùs cæteris Regnis, ac populis, Reges, Reginaſq; ſuas tractare ſolitam, & in cuius ſinu, ex Tuâ Auiâ natus Rex, ſe tuto obdormiſcere poſſe, erat hîc quondam coram Regibus gloriatus. Securè & Tu, Domina, in liberis, & fidis pectoribus noſtris depones dignitatē, & fortunas Tuas omnes; & liberè à Curiâ, Comitioque noſtro Regi lecta, & cæteris omnibus in Orbe præhabita, digniùs, promptiuſq; libero apud nos obſequio colêris, quàm alibi debito. Quin, fidenter dicam, ſecuriorem apud nos eſſe Sceptri Regiam prolem, vbi libertas parens Regum, quàm vbi Reges. Nulla certè vidit ætas poſthabitum ibi Regum ſanguinem, quoad in vtroque ſupereſſet ſexu, quin vel vltra Alpes, & maria, ad Sceptra quæreretur. Non erit, ſi Superis placet, infælicior eo nomine, amor, & deliciæ noſtræ Vladiſlaus Rex, Auis, & progenitoribus ſuis Vladiſlais, Caſimiris, Sigiſmundis: neq; Cæcilia Regina, Eliſabethis, & Annis, quæ quot Filios, tot Reges nobis ediderunt, niſi, qui cum Superis regnare maluerunt. Su-

pereſt

pereſt modo, vt quod vouemus, ſperamuſque, has Nuptias ita ſecundet, fæcundetque ſummus illarum auſpex Deus, vt in longam Magnorum Regum ſeriem ſoboleſcant, & renatos ex Renata Noſtra & poſthuma ſæcula videant, Vladiſlaos, & Sigiſmundos, Patrem heroicâ & bellicâ virtute, Matrem Religioſo Superûm cultu, nobis, & Orbi referentes.

nuſ-
que
m
&
ula
em